

DE
NATURA PECCATI ORIGINALIS.

DISSERTATIO THEOLOGICA
QUAM
REVERENDISSIMI CATH. THEOL. ORDINIS
AUCTORITATE

AD
PROFESSIONEM IN EODEM ORDINE IN
UNIVERS. LITTER. VRATISL.

RITE SUSCIPIENDAM

DIE XII JULII MDCCCXXXIV

PUBLICICE DEFENDET

GEORGIUS DOMINICUS BERG,

THEOLOGIAE DOCTOR ET PROFESSOR P. O.

ADSUMTO AD RESPONDENDUM SOCIO
FRANC. BITTNER,

SEMIN. CATH. THEOL. SOD.

OPPONENTIBUS

EMIL. OGIENSKI,

SEMIN. CATH. THEOL. SOD.

ROB. JAENSCH,

SEM. CATH. THEOL. SOD.

VRATISLAVIAE,

TYPIS UNIVERSITATIS.

~~316923~~

Modesti hominis est, id quod sentit et verum esse putat,
sic libere proferre, ut tamen aliorum sententiis nulla temeritate
praeiudicet.

Augustinus.

Ex Biblioth.
Universitatis
Frider. Guil.
Berolin.

Abgegeben
von der
BERLINER
UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK.

* DEBRECENI EGYETEM *
Egyetemi és Nemzeti Könyvtár

DE CURA PECCATI ORIGINALIS.

§ 1.

Omnis disputatio, quae de peccato originali suscipitur, debet a definitione proficisci. Illud autem sic definiendum est, ut peccatum omnibus hominibus, lege naturae ex Adamo et Eva oriundis, insitum propriumque, idque ex primis istis parentibus propagatione transfusum esse dicatur.*)

Qua quidem definitione, etsi, quid sit hoc peccatum, ex ea minime intelligimus, id tamen efficitur, ut peccatum originale inesse unicuique proprium et originem duxisse ex protoparentibus sciamus. Neminem, qui vel parum versatus est in theologorum litteris, latere potest, quot argumenta unde unde conquisita sint ab adversariis hujus dogmatis principalis**) christianae religionis, quibus demonstrare conantur, doctrinam de peccato originali sanae

*) Cfr. Conc. Trident. Sess. V. can. 3. — Originale dicitur, quia humanae originis lege contrahitur.

**) *Notitia peccati originalis* — inquit *Augustinus* epist. 157 — *et fides redemptionis humanae sunt duo veluti cardines, circa quos christiana religio vertitur.* —

URA PECCATI ORIGINALIS.

§ 1.

Omnis disputatio, quae de peccato originali suscipitur, debet a definitione proficisci. Illud autem sic definiendum est, ut peccatum omnibus hominibus, lege naturae ex Adamo et Eva oriundis, insitum propriumque, idque ex primis istis parentibus propagatione transfusum esse dicatur.*)

Qua quidem definitione, etsi, quid sit hoc peccatum, ex ea minime intelligimus, id tamen efficitur, ut peccatum originale inesse unicuique proprium et originem duxisse ex protoparentibus sciamus. Neminem, qui vel parum versatus est in theologorum litteris, latere potest, quot argumenta unde unde conquisita sint ab adversariis hujus dogmatis principalis**) christianae religionis, quibus demonstrare conantur, doctrinam de peccato originali sanae

*) Cfr. Conc. Trident. Sess. V. can. 3. — Originale dicitur, quia humanae originis lege contrahitur.

**) *Notitia peccati originalis* — inquit *Augustinus* epist. 157 — *et fides redemptionis humanae sunt duo veluti cardines, circa quos christiana religio vertitur.* —

DE NATURA PECCATI ORIGINALIS.

§ 1.

Omnis disputatio, quae de peccato originali suscipitur, debet a definitione proficisci. Illud autem sic definiendum est, ut peccatum omnibus hominibus, lege naturae ex Adamo et Eva oriundis, insitum propriumque, idque ex primis istis parentibus propagatione transfusum esse dicatur.*)

Qua quidem definitione, etsi, quid sit hoc peccatum, ex ea minime intelligimus, id tamen efficitur, ut peccatum originale inesse unicuique proprium et originem duxisse ex protoparentibus sciamus. Neminem, qui vel parum versatus est in theologorum litteris, latere potest, quot argumenta unde unde conquisita sint ab adversariis hujus dogmatis principalis**) christianae religionis, quibus demonstrare conantur, doctrinam de peccato originali sanae

*) Cfr. Conc. Trident. Sess. V. can. 5. — Originale dicitur, quia humanae originis lege contrahitur.

**) *Notitia peccati originalis* — inquit *Augustinus* epist. 157 — *et fides redemptionis humanae sunt duo veluti cardines, circa quos christiana religio vertitur.* —

rationi contrariam esse, eamque nec in sacra scriptura fundatam, nec primis aerae christianae seculis cognitam fuisse, sed posteriobus temporibus excogitatum, partim ex philosophia orientali, partim ex quibusdam sacrae scripturae locis perperam intellectis invectam. Quam falsa haec sint omnia et sacris litteris contraria, nec hujus loci nec temporis est demonstrare; id unum animadvertas, quaeso, cuncta fere, quae in peccato originali sanae rationi contraria esse dicuntur, ex tali hujus peccati notione proficisci, qualem adversarii sibi ipsi fingunt. Itaque, si demonstrari possit, peccati originalis, quod quidem sacra scriptura docet et ecclesia catholica confitetur, eam esse naturam, quae sanae rationi non repugnet, sequitur, ut quae maxime contra existentiam hujus peccati proferuntur, nullius ponderis habenda sint. Sed hanc demonstrationem, quippe quae justos dissertationis limites excederet — (non enim potest absolvi, nisi ita, ut divinae revelationis effata, quae originale peccatum spectant, accurate expendantur, et dilucidentur, et cum iis, quae contraria videntur, itemque cum aliis veritatibus divinitus revelatis, conferantur) — hoc quidem tempore non suscipiam. Nec vero opus est ad demonstrandum, doctrinam catholicam de peccato originali sanae rationi non repugnare, ut, quae sit hujus peccati natura ex divinis effatis, vel ecclesiae declarationibus demonstrares, sed sufficit demonstrasse, si, quid sit peccatum originale, definire velis, tuam definitionem, quae hujus peccati naturam explicet, nec doctrinae christianae, nec sanae rationi esse adversam. Quod quum ita sit, a re christiana alienum non esse existimavi, brevi opusculo exponere, in quo peccatum originale consistat, hoc est, quae sit hujus peccati natura, nec sanae rationi, nec ecclesiae

doctrinae contraria. Quod si fieri possit — et posse fieri confido — evanescent illa adversariorum argumenta, nec erit, quod irrideant eos, qui pie adhaerentes sacrae scripturae firmiter tenent, quae a majoribus tradita acceperunt.

§ 2.

Ex sacra scriptura intelligimus quidem, esse peccatum originale, idque transfusum omnibus inesse unicuique proprium, unde mortales simus et natura inhabiles ad salutem aeternam capescendam: at quid sit hoc peccatum, in quo praecise consistat, directe non edocemur. Nullus ex sacris scriptoribus de peccato originali copiosius disseruit, quam s. Apost. Paulus in epistola ad Romanos cap. 5—8, ubi totus est in eo, ut ostendat, per Adae praevaricationem in omne genus humanum peccatum transiisse, unde irae Dei obnoxium et innumeris malis depressum teneatur; ex quibus quidem intelligimus, quantum malum sit hoc peccatum; illud autem, quae intima sit ejus natura atque essentia, non intelligimus.

Etiam primis christianae religionis seculis non obtinuit subtilior hujus peccati indagatio, tum quod christiani illius temporis simplici fide iis, quae ab Apostolis acceperant, adhaerebant, tum quod haec doctrina ab adversariis christianae religionis non oppugnabatur, propterea, quod veritates revelatae, quae in certamen vocabantur, longe diversi erant generis ab iis, quae peccatum originale spectant. Quo factum est, ut Patres et scriptores ecclesiastici illius aevi iisdem fere verbis, quae in sacra scriptura occurrunt, de originis vitio loquantur. At ubi exorta est haeresis Pelagiana, eodem modo, quo antea Antitrinitarii, quos vocant, catholicam doctrinam oppugnaverant, hujus

haereseos asseclae etiam dogma de originali peccato ventilare coeperunt, negantes, in sacris litteris doctrinam hanc, quam ecclesia confiteretur, contineri; et quidnam esset peccatum hoc in omnes propagatum; qui fieri posset, ut per unius delictum omnes peccatores existerent; per quas rimulas in omnes Adae posteros derivaretur, et quae sunt his similia derisorie quaerentes.

Inter omnes, qui sese his adversariis christianae veritatis opposuerunt, eminent s. Augustinus catholicam doctrinam de peccato originali ex sacris litteris et patrum doctrina invictè demonstrans; ad quaestiones autem subtiliores de hujus peccati natura ejusque propagationis modo, non nisi invitus, accessit, ratus, ejusmodi quaestiones nec necessarias nec ad solvendum faciles esse.*)

At etiamsi fieri non potuit, quin adversariorum objectiones oppugnaturus, naturam originalis peccati et propagationis modum attingeret, nusquam tamen s. Doctor peccatum hoc sic definivit, ut quae sit ejus natura accurate explicaverit; idque ex eo jam liquet, quod omnes theologi, et catholici et evangelici, qui de natura originalis peccati disputarunt, quamvis inter se multum discrepent,

*) *Inter omnia, inquit, quae in hac vita possidentur, corpus homini gravissimum vinculum est, justissimis Dei legibus, propter antiquum peccatum, quo nihil est ad praedicandum notius, nihil ad intelligendum secretius. De morib. eccles. cap. 40. Et alibi — epist. 167 — eleganter autem est narratum, ait, quod huic rei apte convenit. Cum quidem ruisset in puteum . . . accedit alius et eo viso admirans ait: quomodo huc cecidisti? At ille, obsecro, inquit, quomodo hinc me liberes, non quomodo huc ceciderim. quaeras.*

s. Augustinum suae sententiae patronum faciunt; nec desunt, qui Augustini verbis in medium adductis, quid verum sit, demonstrasse se putent.*)

Patres et theologi, Augustino posteriores, non aliter, ac s. Doctor, de peccati originalis natura disputarunt, si theologos scholasticos excipias, de quibus infra erit sermo. —

Neque in conciliorum declarationibus definitum est, in quo praecise consistat noxa originalis. Omnium generalium conciliorum novissimum, quod Tridenti habitum est, ecclesiae doctrinam de originali peccato anterioribus conciliis clarius et uberius exposuit,**) ex qua expositione, quamvis, in quo sita sit originalis vitii natura, declaratum non sit, quivis veritatis amans intelligere et perspicere potest ecclesiae catholicae doctrinam de hoc fidei articulo, quidquid obloquatur *Chemnitius in examine concilii Tridentini*. Praeterea ex datis a concilio declarationibus liquet, quae theologus catholicus de peccato originali inquisiturus integra servare debeat, ne ab ecclesiae doctrina aberret.

„Multa sunt, — inquit Payva Dandrada***) — de

*) Ab hac demonstrationis ratione alienus erat s. Pater. *Neque enim*, inquit — epist. III — *quorumlibet disputationes velut scripturas canonicas habere debemus, ut nobis non liceat, salva honorificentia, quae illis debetur hominibus, aliquid in eorum scriptis improbare atque rejicere, si forte invenerimus, quod aliter senserint, quam veritas habet, divino adjutorio vel ab aliis vel a nobis intellecta. Talis ego sum in scriptis aliorum, talis volo esse intellectores meorum.*

**) Sess. V. can. 1—5.

***) Defensio Tridentinae fidei catholicae quinque libris comprehensa, Ingolstadii 1580. In hoc opere praeclaro auctor

peccato originis et sacris litteris explicata et a Tridentinis patribus definita; duo illa comprimis: vere scilicet atque proprie peccatum esse et in unoquoque mortalium proprium atque peculiare insidere, ut quae sint in hac quaestione potissima, maxime apud eos salva esse oportet, qui de peccato originis disserunt. Ita enim de ceteris, quae in quaestione versantur, licet inquirere, ut haec integra servemus, quae divinis oraculis et ecclesiae definitionibus sunt constituta.“

His praemissis, jam licebit exponere, in quo mihi videatur intima peccati originalis natura consistere. Ad hanc vero expositionem quum multum faciat cognitio sententiarum, quas theologi anteriores de originalis noxae natura habuerunt, eas primum proponam examinaturus, utrum iis assentire possimus, nec ne. In hoc autem genere eorum opiniones, quae ecclesiae definitionibus aperte adversantur, ideoque ad rem in hoc opusculo tractandam parum conducunt, de industria praetermittam.

§ 3.

Tametsi theologi de peccati originalis natura varie *) senserunt, eorum tamen sententias ad duas classes revo-

doctissimus, qui concilio Tridentino interfuit, patres tridentinos a Chemnitii calumniis egregie defendit et inter alia perspicue ostendit, nequaquam probatas esse a concilio quascunque scholasticorum opiniones.

*) De hoc — quid sit peccatum originale — sancti Doctores sub obscuritate locuti sunt atque scholastici doctores varie senserunt, inquit Magister sententiarum lib. II. dist. 30, atque varias doctorum sententias refert.

care possumus, quarum una tenet, ipsum Adae actuale peccatum esse originale vitium unicuique nostrum proprium; altera contendit, privationem justitiae originalis, seu gratiae sanctificantis, esse id, quod originale peccatum constituat. Prioris sententiae patroni ad eam explicandam et confirmandam dicunt: actuale Adae peccatum, esum pomi vetiti, nobis singulis proprium esse, idque effectum esse, dicunt, aliquo decreto Dei alligativo, quo voluntates nostras omnes Deus sic voluntati Adami alligaverit, ut quidquid ipse seu in bonam, seu in malam partem libere decerneret, ratione habita praecepti divini, id ipsum pariter a nobis omnibus actum et probatum Deus censeret. — Jam quaeritur, quid de hac opinione sit tenendum. Eam dogmati declarato directe non adversari, supra jam indicavimus, nisi ejus defensores velint, Adae posteris peccatum solummodo extrinsece esse imputatum, non tamen insidere omnibus, unicuique proprium; quam sententiam *Pighius* et *Catharinus Cardinalis* si non aperte docuerunt, at ei tamen favisse videntur. Ut singularem hancce pighianam sententiam mitamus, plurimi theologi ad refellendam opinionem supra relatam dicunt, decretum Dei alligativum, quo nostras voluntates Adae voluntati alligaverit, neque ex sacra scriptura, neque ex patrum doctrina probari posse, quippe quae ejus mentionem nusquam faciant. Quae quidem tametsi vera sunt, tamen inde non sequitur, falsam esse illam opinionem, nisi id aliunde constet, cum ad explicandum dogma opus non sit, ut ejus naturam ex sacris litteris demonstrares, dummodo repugnantia absit. At falsam esse illam opinionem facile evinces, modo nebulas, quibus involuta est, fugaveris. Quid enim, quaeso, est illud: Deus meam voluntatem Adae voluntati sic alligavit, ut, quod iste libere

fecit, id ego quoque fecisse censear? Nihil aliud esse potest, nisi hoc: Deus meam voluntatem Adae voluntatem, et meam moralem libertatem Adae moralem libertatem fecit, ita ut ego et Adamus una eademque persona fuerimus; id quod sane repugnantiam involvit ideoque vel ab omnipotente Deo effici non potuit.*) Ex ipsa enim libertatis notione necessario sequitur, unius voluntatem in alterius voluntate includi non posse, quin desinat esse voluntas libera, et duae voluntates in unam abeant, unum quid fiant.

Quod quum intelligerent nonnulli, qui nihilominus actuale Adae peccatum nostrum unicuique etiam proprium esse putabant, aliam explicandi rationem inierunt, moralem imputationem in subsidium vocantes. Dicunt enim, quamvis actio, qua legi divinae praevaricatus sit Adamus, nobis physice propria esse nequeat, eam tamen moraliter nobis esse imputatam, ita ut protoparentis peccatum nobis singulis intime sit communicatum. Rei satis obscurae ab exemplis lucem adferre student, et unius voluntatem in alterius voluntate sic includi posse contendunt, ut quod hic sive in bonam sive in malam partem fecerit, illi imputetur. Principes temporales, ajunt, subditorum suorum voluntates in voluntate unius, vel plurium includere possunt, quoad aliquot effectus, ut factum est in pupillis,

*) *Deum potuisse includere voluntatem meam, quae nisi mihi intrinseca sit, mea non est, in voluntate primi hominis, et hujus voluntatis causa alienum peccatum vere intrinsece ac proprie meum esse, id non assequor. Repugnantia enim est rerum, non defectus potestatis supremae. Ita Laurentius Berti: De theol. discipl. tom. III. lib. XIII. Cap. 6.*

quorum voluntas jure civili in voluntate tutorum posita est, respectu quorundam effectuum; a potiori Deus, qui magis hominum voluntates in sua habet potestate, quam ipsi suas, easdem includere potuit in voluntate Adae quoad transgressionem praecipti. Aliud exemplum petunt a filiis, in quos parentum vota ac debita transire dicunt. Sed ad quid haec et his similia exempla? Omnes enim id genus comparationes claudicant et apertissime ostendunt, actuale Adae peccatum ejus posteris imputari et proprium esse non posse, ideoque etiam originale peccatum, quod transfusum omnibus, inest unicuique proprium, in hoc Adae peccato non consistere. Imputare enim quid alteri nihil aliud est, nisi illum judicare actionis auctorem, seu principium efficiens liberum. Itaque actus aliquis mihi imputari nequit, nisi meus sit sensu morali: talis autem non erit, nisi ejus sim causa efficiens voluntaria atque libera. Quare etiam actus ille, quo Adamus legi divinae praevaricatus est, nobis imputari non potest, non dicam, quod nondum eramus eo tempore, quo Adamus peccavit, sed quod, etsi fuisset, principium tamen illius actionis efficiens atque liberum esse non potuimus, nisi contendere velis, vel nostram voluntatem unam eandemque fuisse cum Adae voluntate, vel Adamum per nos ad peccandum esse inductum; neutrum autem ex vero contendere potes; non prius, uti supra demonstratum est; non posterius, quia divinae revelationi aperte est contrarium. Jam facili negotio conficitur, exemplis supra adductis nullam inesse paritatem cum peccato primi parentis. Principes enim temporales e jure et officio iis constituunt tutores, qui rectoribus indigentes ipsi sua bona nec administrare, nec proprio arbitrio administratos constituere possunt. Jus ergo administrandae rei

tutoribus confertur ita, ut, quod vi juris collati a tutoribus actum est, quoad bona in administrationem commissa, id pupillis quoque ratum sit. At quis est, qui contendat, actiones quascunque tutorum pupillis vitio verti posse, id est, imputari, ut peccante tutore peccet pupillus? Quis magistratus justus et aequus, si e. g. tutor furatus est, pupillo furtum imputabit, eumque furem habebit furtique poenas dare coget?

Quod ad alterum exemplum attinet, et si quae similia adferantur, distinguendum est inter vota ac debita realia, et personalia; illa enim ad filios transire possunt, non haec; nec ipsa vota ac debita realia, si rem accuratius perpendaris, in liberos transire intelliges, sed solam ea solvendi obligationem, inde exortam, quod paterni boni sunt haeredes. Obligatio vero voti vel debiti personalis parentum liberis, non nisi intercedente eorum propriae voluntatis actu, imponi potest.

Haec quae modo refutavimus, praecipua sunt, quibus opinionem illam tuentur; loci enim sacrae scripturae, qui ad eam probandam citantur, ejusmodi sunt, ut interpretatione haud indigeant, ut intelligatur, divina effata huic opinioni minime patrocinari. Quare ad alteram ex duabus supra relatis opinionibus transitum faciamus.

§ 4.

Hujus opinionis patroni dicunt, peccatum originale consistere in privatione justitiae originalis, seu gratiae sanctificantis. In duas vero abeunt partes, quarum altera originale vitium in sola gratiae sanctificantis privatione, seu defectu, ponit, altera autem contendit, privationem gratiae sanctificantis esse quidem formale in originali peccato i. e.

id, quod peccatum constituat, cui tamen concupiscentiam carnis ut materiale hujus peccati substernunt. —

Prioris partis sententia ab *Anselmo**) describitur in hunc modum: Hoc peccatum, quod originale dicitur, aliud intelligere nequeo in ipsis infantibus, nisi ipsam, quam supra posui, factam per inobedientiam Adae justitiae debitae nuditatem, per quam omnes filii sunt irae. — Alteram, quam schola Thomistica maxime amplexa est, s. *Thomas* **) ita exponit: privatio justitiae originalis, per quam voluntas subdebatur Deo, est formale in peccato originali, omnis autem alia inordinatio virium animae se habet in peccato originali, sicut quoddam materiale. Inordinatio autem virium animae in hoc praecipue attenditur, quod inordinate convertuntur ad bonum commutabile, quae quidem inordinatio communi nomine appellatur concupiscentia. Et ita peccatum originale materialiter quidem est concupiscentia, formaliter vero est defectus originalis justitiae.***)

Priusquam inquiramus, quid de utraque opinione judi-

*) de concep. virg. cap. 26.

**) 1. 2. quaest. 82. art. 3.

***) Utramque opinionem conjungit *Bonaventura*. Dum quaeritur, ait, quid sit peccatum originale, recte respondetur, quod sit concupiscentia immoderata; recte etiam respondetur, quod sit debitae justitiae carentia; et in una istarum responsionum clauditur alia, licet una notificet ipsum habituale peccatum ratione ejus, quod est in ipso habens modum conversionis; altera vero rationem privationis. Concedendum est igitur, sicut rationes ostendunt et *Magister* dicit in littera, quod originale peccatum est concupiscentia; et haec non quaecunque, sed concupiscentia, quae claudit in se debitae justitiae carentiam.

candum sit, praenotandum est, theologos utriusque opinionis patronos opinari, omnes animae facultates in protoparentibus non natura, a creatore accepta, sed dono supernaturali, gratia videlicet sanctificante, ita comparatas fuisse, ut primi homines nullis impedimentis irretiti, quid honestum esset, quidve turpe, intelligerent, iidemque prae essent a appetendum illud et ad aversandum hoc; quam facultatum conditionem justitiam originariam vocant, eamque gratiae sanctificantis effectam dicunt, quae si defuisset protoparentibus, eos pariter, ac nos, carnis stimulis abnoxios a prava concupiscentia immunes non fuisse.

Ad confirmandam sententiam suam ii, qui peccatum originale ponunt in gratiae sanctificantis defectu, haec proferunt: Deum Adamo ut capiti totius generis humani ea lege gratiam sauctificantem concessisse, ut, si ipse legi divinae obtemperando eam conservaret, omnes quoque ex illo oriundi ejusdem gratiae participes essent futuri; at si ipse deficeret a divino praecepto, omnis ejus posteritas sanctificantis gratiae jacturam faceret*), unde sequi, dicunt, justitiam originariam, quemadmodum esset donum toti generi datum, ita etiam toti generi aut conservari aut amitti debuisse; Adamum vero, cum peccasset, et sibi et nobis Dei gratiam et justitiam originalem perdidisse, et sic nos

*) Addunt nonnulli, hanc Dei constitutionem Adamo innuisse, 1, quia id exigeret suavis Dei providentia, ut protoparens consultius in hoc tam gravi de suo totiusque posteritatis statu decerneret et a peccando magis averteretur; 2) quia postularet rectus ordo, ut in negotiis adeo gravibus officium ac debitum suum intelligerent, qui omnium personam ac sortem gererent.

omnes per illius peccatum peccatores esse constitutos. Rem quam defendunt, exemplis illustrare student. Principes temporales, dicunt, multorum sortem uni committere posse; donare v. g. aliquem nobilitate, ea lege, ut, si praecepta religiose servaret, non ipse solus, sed et liberi et omnis posteritas eadem nobilitate, et quae cum ea conjuncta sint, fortunis, essent fruituri. At si iste felix promissis non staret, benefactoris mandata et praecepta negligens, suae ipsius vel alterius voluntati obtemperans, libere quae interdicta essent perpetrans; — — quid inde sequeretur? fore, ajunt, ut, qui beneficentia ita sit abusus, eoque indignus redditus, et nobilitate et cunctis nobilitatis fructibus privetur, nec in liberos eas fortunas transferre possit, quippe qui una cum illo gratia principis exciderint; simili modo omnes Adae posteros, cum communis generis humani parens gratiam sanctificantem suae posteritati non conservavit, nudos ab ista gratia, et, ea deficiente, justitia originali orbatos procreari, ut qui una cum communi parente benevolentia divina gratuita exciderint. — —

Jam quaeritur, an peccatum originale in defectu doni supernaturalis, justitiae videlicet originalis, consistere possit.

Constat permultos fuisse, qui hoc contenderent, nec nostris temporibus deesse, quorum auctoritati facile cederem, si non, quod affirmant, veritati, quam solam sequi oportet, contrarium intelligerem. At si dicam, quod sentio, originale peccatum in defectu doni supernaturalis ponere nequis, quin divinis effatis adverseris. Deus enim optimus maximus, qui nulla re indiget, solus sibi ipse sufficientissimus, homines non ad suam ipsius, sed ad ipsorum creavit beatitatem; quam veritatem, utpote divinis effatis consonam, cognitam habeat, oportet, qui ratione

duce Deum esse, eumque christianae revelationis autorem cognovit. Quod cum ita sit, homines, cum e manu Creatoris prodierunt, tales fuerint, necesse est, qui propter semetipsos Deo placerent, *) ejusque amore et benevolentia efficace, quamvis gratuita, digni haberentur. Ex quo jam sequitur, omnes Adae posteros, quidquid ipse sive in malam sive in bonam partem fecerit, dummodo eadem cum protoparente sint natura atque indole, i. e. dummodo tales sint, qualis ille creatus est, propter semetipsos quoque Deo placere ejusque benevolentia dignos haberi. Quod si concesseris, — et concedas, necesse est, nisi negaturus, primos homines propter semetipsos Deo placuisse et ad suam ipsorum beatitatem creatos fuisse — non amplius tenere poteris, in defectu doni supernaturalis, gratiae videlicet sanctificantis, originale vitium consistere, nosque propter illius defectum natura esse filios irae, et peccatores constitutos. Si tales essent natura homines, quales protoparentes principio natura fuerunt; quid esset, quod Deus Adae posteris negaret gratiam sanctificantem, quae ad naturam hominis non pertinet, ita ut sit aliquid huic veluti ingeneratum et congenitum, sed donum Dei est supernaturale, datum hominibus pro adjumento supernaturali ad vitam justam et honestam? Adae praevaricatio in causa non fuit, quum necessarium nec esset, nec esse posset, ut Adamus gratiam sanctificantem conservaret et promereret nobis, quibus Deus propter semetipsos non minus bene vellet, quam protoparentibus, benigne largiturus bona super-

*) *Placebant Deo et placebat iis Deus* — inquit August. de peccat. merit. et remiss. C. 22.

naturalia, quibus ad creationis finem consequendum opus esset.

Si intellexeris, quod modo disputavimus, facile quoque intelliges, exempla supra allata, omni prorsus paritate cum originali peccato esse destituta. Si princeps temporalis liberis patris, quem nobilitate decoravit, benevellet propter semetipsos, modo tales essent, qualis pater, priusquam deliquit, cui propter semetipsum bene voluit; non ob parentis delictum liberi principis gratia excidere possent, sed potius dona destinata acciperent. Qui defectum gratiae sanctificantis peccati originalis formam, pravam vero concupiscentiam ejus materiam esse dicunt, iisdem difficultatibus, quae expediri nequeunt, atque eodem modo, quo ceteri, qui in sola gratiae sanctificantis jactura originalem noxam consistere affirmant, implicantur, nisi, quod ex peccato originali sequitur, cum ipso peccato confundere velint.

Praeter has duas opiniones, quas modo recensuimus, etiam aliae fuerunt, inter theologos pervulgatae, quae tamen ab istis parum discrepant*), quapropter iis recensendis

*) Unam ex his seligam, a *Laurentio Berti* l. c. cap. V. et aliis theologis adoptatam. Bertiana definitio originalis peccati haec est: *Peccatum originale nihil aliud est, quam concupiscentia cum reatu, sive vitium ex morbida qualitate contractum ab anima, cui inest reatus culpae, seu privatio originalis justitiae, adeo, ut concupiscentia sit originariae culpae quasi materies, reatus vero sit illud, quod appellant theologi formale peccati . . . Est ergo, inquit sub finem hujus capituli, privatio sanctificantis gratiae peccatum originarium, quatenus contrahitur origine. — Haec definitio*

supersedentes explicare aggrediemur, in quo, nec doctrinae christianae nec sanae rationi adversantes, originalis peccati naturam ponere possimus.

§ 5.

Quae sit natura peccati, quod ex protoparentum legis divinae praevaricatione ortum, propagatione transfusum omnibus, inest unicuique proprium, confici non posse mihi videtur, nisi perspectum sit, qualis fuerit protoparentum conditio moralis naturalis antequam peccaverunt, et qualis per peccatum facta sit, et perstiterit, etiamsi divino auxilio adjuti poenitentiam agentes resipuerunt et gratiam sanctificantem, peccando perditam, recuperaverunt. Quodsi mutata haec conditio moralis naturalis ea fuerit, ut propagatione in Adami posteros transfundi, eosque ad salutem aeternam inhabiles reddere, et peccatores constituere posset, non est, quod amplius dubitemus, fore ut, in quo sita sit originalis noxa, luculenter appareat.

Protoparentum conditionem moralem naturalem quod attinet, divinis effatis edocemur, homines a Deo ad suam ipsorum aeternam felicitatem esse creatos, qua se, dum in terra viverent, virtutem exercendo dignos redderent. Quem ad finem quem creati essent, ita eos a Deo comparatos et constitutos fuisse, necesse est, ut apti et idonei

etsi non eadem est omni ex parte cum iis, quas supra proposuimus, convenit tamen in eo, quod rei caput est in omnibus hisce definitionibus. Quantum vero Bertiana definitio sapiat antiquatam et jam dudum profligatam Aristotelicorum philosophiam, monere superfluum est. Cfr. Wiest. *Demonst. Dogm. Cathol.* tom. V. § 27.

essent ad finem hunc consequendum, id quod sacra scriptura quoque aperte affirmat; *vidit enim Deus cuncta, quae fecerat, et erant valde bona.* Gen. I. 31.

Itaque homo una cum ceteris creaturis, quum e manu Dei prodiit, bonus erat, hoc est, aptus et idoneus ad creationis finem. Quod quum ita sit, homines primaevis ita a Deo comparati fuerint, necesse est, ut proni essent ad colendam virtutem, per quam ad aeternam felicitatem pervenirent. Ex quo jam sequitur, protoparentes ab omni impedimento immunes intellexisse, quid bonum quidve malum esset, cum virtutem colere non possent, nisi, quae ad eam spectant, intelligerent, bona, mala, honesta, turpia perspecta haberent; hac enim scientia si caruissent, de virtutis exercitio sermo esse non posset; nec boni fuissent, si quid in ipsis insedisset, quod, quominus hanc scientiam haberent, impedimento fuisset. At haec sola non sufficiebant, ut boni i. e. apti et idonei essent ad creationis finem, nisi voluntas prona esset ad appetendum bonum morale et aversandum malum; quandoquidem ad virtutem colendam non satis est, ut intelligas, quid bonum quidve malum sit, sed voluntas accedat, necesse est, quae illud eligat et perficiat, hoc aversetur et rejiciat. Atque haec quoque voluntatis pronitas expedita fuit in protoparentibus, cum boni essent ad creationis finem. Voluntas vero in rebus appetendis et aversandis sequitur vel rationem vel sensum, quibus solis voluntati aliquid ad appetendum vel aversandum proponitur. Rationis est enim, et judicare, quid honestum quidve turpe sit, et praecipere voluntati, ut illud eligat, hoc rejiciat; sensus autem, nulla vel turpis vel honesti ratione habita, ad ea inclinatur voluntatem, quae sensus suaviter movent, et avertit a contra-

riis; unde jam sequitur, in statu primaevo sensum rationi non contrarium sed subjectum fuisse, ita quidem, ut in rebus honestis et cognoscendis et volendis rationi et voluntati non esset impedimento, sed amice cum ratione conspiraret. Haec autem ita esse non poterant, nisi ceterae quoque facultates, quas inferiores vocant, rationi essent subjectae; nam impedimento esse non poterant sive in cognoscendis, sive in appetendis rebus honestis et aversandis turpibus, quin homines primaevi desinerent esse boni ad creationis finem.

Haec protoparentum conditio, cum moralitatem spectabat, moralis recte nominatur, eamque naturalem diximus, quia ad naturam hominis primaevi pertinebat, quam a Deo ita comparatam acceperat, ut conditio moralis naturam esset ea, quam descripsimus. Quamvis, salvo dogmate, contendere possis, conditionem hanc effectum fuisse gratiae sanctificantis, cum nec in divina revelatione, sive scripta sive viva voce tradita, contrarium directe pronuntiatum, nec ullis conciliorum decretis declaratum sit; non desunt tamen sacrae scripturae loci, ex quibus recta interpretatione inferri potest, primos homines, cum e manu Creatoris prodierunt, eos fuisse, qui natura sua ad bonum inclinarent et Deo grati existerent. Immunes enim erant a prava concupiscentia — sive sensus praedominio, — ex qua in genere humano cuncta irritamenta malorum scaturiunt. Hanc vero immunitatem non gratiae sanctificantis effectum fuisse, sed donum naturale, jam loco supra allato — Genes, I, 31 — si non omnino certum, at verisimillimum tamen redditur, vidit enim Deus cuncta quae fecerat, et erant valde bona. At si statuas, hominibus primaevis jam infuisse pravam concupiscentiam, licet gratia divina

refrenatam, concedas quoque, necesse est, vitiosam principio fuisse hominis naturam, et Deum aut non potuisse, aut non voluisse ita comparare hominem, ut una cum ceteris creaturis bonus esset ad creationis finem. Utrum defendas, maximis difficultatibus implicaris, et obvio verborum sensui contrarius mihi videris, praesertim si Genesis verba conferas cum iis, quae apud Ecclesiasticen V. 30 leguntur; *Hoc solummodo inveni, quod fecerit Deus hominem rectum et ipse se infinitis immiscuerit quaestionibus.* Ex contactu enim hujus loci apparet, verba haec ad hominem primaeuum esse referenda, et *rectum* nihil aliud significare, atque eam animi rectitudinem naturalem, qua homo ad bonum morale inclinatus esset. Cum hac veteris testamenti doctrina omnino consona sunt, quae a s. Paulo — Ephes. IV. 24. Colos. III. 9—10. Rom. VII docentur, quorum uberiori expositione ad finem, quem nobis in hoc opusculo proposuimus, opus non est, cum sufficiat indicasse, ex sacris litteris versimillimum esse, protoparentum conditionem moralem, qua voluntas ad bonum morale inclinaretur, naturalem fuisse.

Jam quaeritur, qualis haec conditio per peccatum facta sit. Qua de re ut certiores fiamus, ipsam hujus peccati indolem respiciamus; ex ea enim confici posse videtur, qualem conditionis morales naturalis mutationem protoparentes subierint. Quod peccatum a protoparentibus commissum attinet, ex supra descripta morali conditione jam elucet, eosdem id, qualecunque fuerit, voluntarie atque libere perpetrasse.

Deficiente prava concupiscentia nec phantasiae imaginibus nec sensuum motibus impediti esse poterant, quominus clare intelligerent, non esse appetenda nec facienda, quae

Deus interdixerat. Omne enim impedimentum, ne homo rationalis clare perspiciat, quid honestum quidve turpe sit, a concupiscentia proficiscitur, quum sensus animi intentionem in ea objecta et eas objecti partes, quae sensus suaviter permovent, convertat, et a contrariis avertat, aut in his contrariis quoque defixam teneat, siquidem cum iis conjuncta sunt, quae a ratione praecipiantur; unde fit, ut harum rerum imagines vividiores fiant, et aut appetitus aut aversiones sensuales pariant et voluntatem abripiant. Hisce concupiscentiae effectibus vel maxime impediri, quominus, quid honestum quidve turpe sit, clare perspiciatur et a voluntate libere aut eligatur aut rejiciatur, per se liquet. Protoparentes vero cum ab omni ejusmodi impedimento essent immunes, necesse est, ut et clare perspicerent, quae interdicta erant, et libere voluntatem in legis praevagationem converterent, cum peccarent; id quod etiam divinis litteris confirmatum intelliges, si sacram historiam, qua narratur, quonam modo primi homines, diabolo instigante, ad peccandum inducti legi divinae praevariati sint, studiose perpenderit. Ex ea enim elucet, initium peccandi factum esse a protoparentibus, quod libere vertebant animum in ea, quae cacodaemon mendaciter pollicebatur; qua conversione tentationi erant obnoxii, cui tamen, utpote a concupiscentiae illecebris immunes, facile resistere poterant, quamdiu fidem in Deum habebant. In dubium enim vocarent, necesse est, quae Deus minatus fuerat, priusquam iis, quae serpens diabolus promittebat, assentirent, rati, felicitatem, ea, qua fruebantur, majorem, sibi a Deo ex invidia esse denegatam. Hanc enim sinistram legis divinae interpretationem sibi fingere poterant, cum cacodaemonis promissioni aurem benignam praebuissent, seu

potius, hanc perversam legis divinae interpretationem a Daemone datam libere suscipere poterant, atque ei assentiri. Quo facto, non poterant non abjicere omnem fidem, spem et charitatem in Deum, et toto animo averti a Creatore benignissimo. Hisce virtutibus abjectis, peccatum, quod animo jam commiserant, opere externo quoque perfecerunt.*) Ex tota de lapsu historia colligitur, protoparentum peccatum in *superbia* maxime constituisse, idque libertate, qua fieri potuit, maxima, ab ipsis perpetratum esse.

Justitiam igitur et sanctitatem subjectivam, peccato patrato, esse amissam, nullo modo negari potest, at verisimillimum quoque redditur, rectitudinem moralem naturalem, qua ante peccatum gaudebant, omnino esse inversam; id quod ex ipsa peccati indole necessario sequi mihi videtur. Duae enim istae facultates, quae solae voluntati aliquid appetendum vel aversandum proponere possunt, sensus videlicet et ratio, in ipso peccato inversae sunt, ita quidem, ut sensus de ratione victoriam reportaret et voluntatem sequacem haberet. Quo majori cum libertate a ratione voluntatem primi homines averterunt, quo majoris momenti fuit actio illa, in qua rationi libere resistentes voluntatem sensui libere subjecerunt: eo magis quoque necessario debilitata est ipsa ratio, et sensus potestas praevalens reddita. Ea enim est natura cujusque facultatis humanae, sive rationalis sit sive sensualis, ut ejus vis

*) *In occulto mali esse coeperunt, ut in apertam inobedientiam laberentur. Non enim ad malum opus perveniretur, nisi praecisisset, mala voluntas. Porro malae voluntatis initium quid potuit esse, nisi superbia? initium enim omnis peccati superbia. August. de civit. Dei XIV. 13.*

et potestas eo magis vel debilitetur vel accrescat, quo major est victoria, quam una de altera reportat. Quod si ad peccatum primorum parentum referamus, non est, quod amplius dubitemus, quin sensus praevalentia i. e. sensus praedominium in rationem et voluntatem, et rationis debilitatio non una cum actione perversa transierint et desierint, sed etiam, peccato commisso, in primis parentibus peccatoribus permanserint, ita ut prava concupiscentia ex ipsa legis praevaricatione modo naturali i. e. lege humanae naturae nata sit. Quod si concedendum est, moralem conditionem naturalem omnino esse inversam, et homines, uti ante peccatum natura erant prони ad bonum, ita post peccatum natura pronos fuisse ad malum, ex iis, quae supra de concupiscentia disputavimus, necessario sequitur.

Jam videndum est, num sacra scriptura cum iis, quae de origine concupiscentiae diximus, consentiat. Moises, postquam lapsum protoparentum narravit, ita pergit: *Et aperti sunt oculi amborum, cumque cognovissent, se esse nudos, consuerunt folia ficus et fecerunt sibi perizomata.* Gen. III, 7.

Unde haec commutatio? Quis est, qui credat, illos ante peccatum, se nudos esse ignorasse? Quid autem fuit in causa, ut post peccatum perizomata sibi facerent, quibus nuditatem obtegerent? Nullo modo explicari poterit, qua causa permoti hoc fecerint, nisi ponamus, illos nuditatis tunc puduisse, idque inde esse effectum, quod nuditatis adspectu tales cogitationes, perque has tales animi motiones exstiterint, quae honestati essent contrariae. Id autem fieri non potuit, nisi quod sensus rationi erat contrarius et praedominans, ita ut natura inclinaret hominem

in ea, quae ratio repudianda judicaret. *) Amissa ergo erat illa rectitudo moralis naturalis, qua sensus et ratio ita conspirabant, ut homines primaevos in ea, quae justa sunt atque honesta, verterent, et in illius locum successit repugnantia sensus cum ratione, quo factum est, ut, quae sensus suaviter permovebant, in ea, quamvis rationi contraria, protoparentes natura inclinarentur, hoc est, ut pravae concupiscentiae essent obnoxii. Huic veteris testamenti doctrinae consona sunt, quae s. Paulus in epistola ad Romanos cap. 7. de concupiscentia disserit, quod neminem latere potest, qui hoc caput septimum cum duobus antecedentibus comparaverit. Eodem fere modo loquuntur Patres Tridentini — sess. V. can. 5 — *manere, ajunt, in baptizatis concupiscentiam eamque ex peccato esse et ad peccatum inclinare. Peccatum autem, ex quo concupiscentiam esse dicunt, ad protoparentes referendum esse, ex ipso Canonis contextu apparet.*

Etsi nec Paulus nec Patres Tridentini dicunt, primos parentes post peccatum pravae concupiscentiae obnoxios fuisse, sed de eorum posteris loquuntur, eosque concupiscentia, ex Adae praevaricatione oriunda, infectos esse asserunt, nemo tamen dubitare potest, quin ex mente s. Pauli et concilii tridentini haec eadem concupiscentia Protoparentibus, ut qui peccando ejus autores fuerint, inha-

*) *Nudi erant et non confundebantur, non quod eis sua nuditas esset incognita, sed turpis nuditas nondum erat, quia nondum libido membra illa praeter arbitrium commovebat — — exstitit in motu corporis quaedam impudens novitas, unde esset indecens nuditas et fecit attentos, reddiditque confusos. August. de civit. Dei. XIV. 17.*

bitaverit. Certum ergo est, cum ex scriptura, tum ex ecclesiae doctrina, pravam concupiscentiam ex Adae et Evae peccato exortam esse, eaque et protoparentes peccatores et eorum posteros esse infectos.

At vero supra jam demonstravimus, primum, si non omnino certum, at verisimillimum tamen esse, rectitudinem moralem, qua primi homines principio gaudebant, naturalem fuisse, non gratiae sanctificantis effectum; deinde, pravam concupiscentiam lege humanae naturae ex protoparentum peccato exortam esse atque in iis perdurasse. Quae quum ita sint, omnem quoque illam perversitatem, qua factum est, ut cum in cognoscendis tum in appetendis vel aversandis rebus honestatem spectantibus impediuntur, quominus rectum atque honestum clare perciperent et perficerent, turpiaque aversarentur, cum concupiscentia rationem anteverteret et voluntatem in suas partes pertraheret, omnem illam, inquam, perversitatem lege humanae naturae ex peccato secutam esse, negari nequit. Natura erat vitiosa, et duae istae facultates, quae voluntati aliquid appetendum vel aversandum proponunt, non solum contrariae sibi erant, sed etiam ita dispositae, ut, peccato patrato, sensus gubernium in rationem haberet, et Adamus peccator natura inclinaret in mala, inhabilis, nisi divino auxilio adjutus, ad colendam virtutem, qua se dignum redderet, qui salute aeterna potiretur. Qua quidem naturali perversitate, etiam nulla personalis peccati ratione habita, Deo displicere debuit, qui hominem ea conditione morali nec creavit, nec creare potuit. Natura erat filius irae. Quae naturalis perversitas, orta ex legis divinae praevariatione, qua homo redditur et pronus ad mala et inhabilis ad colendam virtutem et vitam aeternam capescendam, si

in Adae posteros propagatione transfusa est, unicuique propria, non est, quod amplius dubitemus, quin in ea quoque maxime consistat originalis peccati natura. Quaeritur ergo, primum an haec perversitas naturalis ex primis parentibus in eorum posteros lege originis transfundi possit; secundo, an cum doctrina catholica sit conveniens sententia, quae docet, in hac naturali perversitate originale peccatum consistere.

Ad priorem quaestionem quod attinet, opus non est, ut in ea dilucidanda multi simus, cum prava concupiscentia, quam protoparentes peccando sibi contraxerunt, quatenus est impedimentum salutis aeternae, eadem sit cum illa naturali perversitate, in qua originale peccatum consistere diximus. Hanc vero naturalem perversitatem, seu pravam concupiscentiam, ab uno in alterum propagari posse, negari nequit, licet modus, quo fiat, ignoretur. Non solum possibilem, sed etiam verisimillimam esse illam propagationem, jam ex eo elucet, quod plerumque parentum naturales animi conditiones in liberos propagatas videmus.

At non desunt, qui sensus praevaletiam ex protoparentum peccato exortam et in eorum posteritatem propagatam esse negent, dicentes, eam ex humanae naturae conditione et vivendi ratione necessario sequi. Nos omnes enim, ajunt, infantes nasci, per plures annos solis sensibus deditos vivere, ea appetentes, quae sensibus placent et a contrariis abhorrentes; sensum hac ratione vim suam in omnes animi facultates per longum tempus exercere, priusquam ratio expergiscatur; inde effici, ut sensus vis et potestas rationi multum praevalescat, eaque existat in omnibus perversitas naturalis, quam concupiscentiam nominavimus.

Inania sunt haec omnia et solum in speciem contraria iis, quae de origine concupiscentiae ejusque propagatione diximus. Unde enim evenit, ut sensus vim suam exercendo rationem antevertat, priusquam ad usum rationis perveniatur? Quodsi innata rationis vis major esset ea, quam sensui inhaerere experimur, fieri profecto non posset, ut illa naturalis perversitas a puero existeret in homine. Longe abest ergo, ut argumentum in contrarium adductum doctrinam nostram evertat, ut eam potius confirmet.

Jam ad alteram quaestionem accedamus, an in hac prava concupiscentia, quatenus est impedimentum salutis, seu quod idem est, quatenus omnes Adae posteris constituit natura pronos ad mala et natura imbecilles ad colendam virtutem, qua sese aeterna salute dignos reddant, originalis peccati naturam, salvo dogmate, ponere possimus.

Non dubito, fore nonnullos, qui hanc doctrinam cum dogmate de originali peccato conciliari posse negent. At non est, quod timeant, ne ecclesiae doctrinae contrarium propugnemus.

Quae enim integra sint servanda in omni de originali peccato disputatione, supra jam indicavimus et ex concilio Tridentino — sess. V. — perspicua sunt. At si ea nascimur conditione morali naturali, ex Adae peccato, exorta, et propagatione in nos transfusa, qua natura ad peccandum proclives existamus et imbecilles ad colendam virtutem et salutem aeternam capescendam, revera natura sumus ii, qui Deo displiceamus, *φύσει* filii irae, ut Paulus loquitur, exclusi a regno coelorum in perpetuum, nisi quod natura contraximus, gratia divina deleatur. — Quae cum ita sint,

quis non videat, eam quam defendimus de natura peccati originalis sententiam, cum dogmate catholico quam maxime convenire!

At inquires, si ea sit, quam diximus, originalis peccati natura, peccatum non erit originaria noxa; quod contendere contrarium est ecclesiae doctrinae. Respondeo: si peccatum liberam legis sive naturalis sive divinae transgressionem definias, originariam noxam non esse peccatum, concedendum est. At vero data definitione, quid sit peccatum *personale*, dixeris, originis autem vitium non esse peccatum personale, sed *peccatum naturae*, ex iis, quae hactenus disputavimus et ex ipso concilio Tridentino, si quae canone 3tio leguntur, perspexeris, intelliges, idque cum antiqvis Patribus naturae vitium appellare poteris *)

At obiicies; si, quam diximus, sit originaria noxa, necessario inde sequi, originale peccatum culpam esse non posse, quae naturae vitio inesse nequeat. Tibi omnino consentio. Constat quidem permultos fuisse theologos, et nostris adhuc temporibus esse, qui culpae nomen originis vitio convenire contendunt; at iis merito a multis contradicitur, cum culpam sensu proprio habere nequeat, nisi qui libere peccaverit. Non omne peccatum culpa est, licet culpa sine peccato esse nequeat in persona culpam suscipientis. Nec sacrae litterae nec Patres Tridentini, quamvis

*) Vide Wiest. Demonst. dogm. tom. V. § 26. *Peccatum originale*, inquit s. Thomas I. 2. q. 81. art. 1, *non est peccatum hujus personae, nisi quatenus haec persona naturam recipit a primo parente, unde et vocatur peccatum naturae, secundum illud Ephes. II. eramus natura filii irae.*

originis vitium peccatum nomen, ullibi culpae nomen illi attribuunt.*)

*) Nec unquam ecclesiae catholicae doctrina fuit, peccatum originale culpam esse. Liceat hoc loco quaedam referre ex celeberrimo opere, quod doctissimus Payva Dandrada ad defensionem fidei tridentinae conscripsit. Neque vero, inquit l. V. p. 41, solus Albertus Pighius, Catharinus, sed Wilhelmus etiam episcopus Parisiensis, vir eruditissimus, quibusdam a scopo aberrare nonnihil videtur, et quod peccatum originale culpam esse neget, et quod naturae illud scelus nullo a Deo supplicio affici contendat. Quibus ego hominibus habeo, quid assentiar; habeo et quid dissentiam: dissentio quidem, quod peccatum putant Wilhelmum infantibus pueris minime affixisse, quia culpa eos carere dicit, cum tamen fuse admodum demonstraverit, peccati nomen atque rationem vere atque proprie originali vitio multis de causis convenire; culpae vero vocabulum in illud minime quadrare, quia sine suscipientis voluntate culpam nequaquam putet existere. Quod reverendissimus etiam Hieronymus Osorius, vir omni laude superior, Algarbiensis episcopus, libro 7. de justitia ornatissime demonstrat. Qua de re ut nihil aliud dicam, minime certe cum sacris litteris aut sanctorum Patrum doctrina ii pugnare videntur, qui cum originis vitium atque contagium, peccati, flagitii, sceleris, criminis, turpitudinisque vocabulis notent, a solo culpae levissimo nomine abstinent. Quare non jam de peccati originalis vi et atrocitate, sed de ipsa culpae significatione quaestio est, quae ex usu erit sermonis latini imprimis expedienda, quodque vocabulum D. etiam Thomas I, 2. q. 20 art. 2 — cum rem consideravit accuratius, dixit peccato convenire, ut libere atque sponte susceptum esse significaret, latiusque multo peccati quam culpae nomen patere.

Illis vero, quos dixi, hominibus in eo assentior, quod originis vitium contra Wilhelmi Parisiensis opinionem supplicio aliquo dignum esse confirmant. — Quamquam vero mihi Wil-

At objicies porro: Patres Tridentinos, quamvis culpae nomine non utantur, reatum tamen originali peccato inesse declarasse, cum sess. V. can. 5. reatum peccati originalis per Christi gratiam in baptisate collatam, remitti dicant; reatum vero idem esse ac culpam. Respondeo: verum quidem est, quod Patres Tridentini declararunt, at peperam inde colligis, ipsis reatum idem fuisse ac culpam, et nesciisse eos distinguere culpam inter et reatum. Quid vero sit ex mente concilii tridentini reatus peccati originalis, quem gratia Christi, in baptisate collata, remitti dicit, apparebit ex iis, quae ad aliud argumentum, quod quis contra nostram sententiam ex concilio tridentino peti posse arbitretur, dicemus; Patres videlicet Tridentinos — sess. V. can. 5. — declarasse; concupiscentiam, quae in baptizatis remanet, ecclesiam catholicam nunquam intellexisse peccatum appellari, quod vere et proprie in renatis peccatum sit, sed quia ex peccato sit et ad peccatum inclinet; ex nostra autem sententia de originarii vitii natura necessario sequi, quum concupiscentia in baptizatis quoque remaneat, gratia Christi in baptisate collata, nec originale peccatum deleri, nec reatum remitti; nostram ergo doctrinam concilio tridentino esse contrariam. Si verum

helmus Parisiensis rem videatur non fuisse omnino assecutus, a nobis tamen minimum dissidere videtur. Nam quum singulare in unoquoque mortalium peccatum cum Tridentinis Patribus affingat, ex eoque fateatur devenire omnes quas hausimus calamitates, haud quidem est magna contentione dignum, culpaene etiam nomen mereatur, atque an humanae naturae veluti fatales necessitates, divinaque visione carere poenae potius quam miseriae atque calamitates dicendae sint.

esset, quod objicitur, a veritate me aberrasse non reluctarer confiteri; non enim is sum, qui solus veritatem perspexisse mihi videar, et quod ecclesia, falli nescia, rejicit, propugnem. At persuasissimum mihi est, ea, quae hactenus disputavimus, ecclesiae doctrinae esse maxime consona. Diximus enim et rationibus allatis firmare studuimus, originale peccatum consistere in illa naturali peruersitate, quae prava concupiscentia communi nomine appellatur, quatenus haec est salutis impedimentum, sive quatenus ea reddimur natura imbecilles et inhabiles ad colendam virtutem et salutem aeternam capescendam, prouero ad mala quaecunque moralia. In baptisate autem, rite collato, gratia Domini nostri Jesu Christi nobis confertur, qua fit, ut concupiscentia, quamvis in baptizatis remaneat, nec salutis impedimentum esse possit nobis, quibus datum est donum supernaturale, gratia divina, quae habiles ad virtutem colendam Deoque grati et accepti constituti, cuncta concupiscentiae irritamenta, quae salutem impedire possint, superare possumus; nec peccatum in renatis appellari possit, cum, quatenus peccatum est, deleta sit gratia Christi in baptisate collata. Relinquitur, uti Patres Tridentini praeclare docent, in renatis ad agonem, nec valet nocere non consentientibus, quinimo, qui legitime certaverit, coronabitur. Si argumentum, quod Patres Tridentini sessione quinta tractant, et canonum contextum studiosae perpenderit, facile intelligimus, ex mente concilii tridentini reatum peccati originalis nihil aliud significare, nisi ipsum originale vitium, quatenus per illud a vita beata excludimur, et paenis, seu miseriis abnoxii reddimur; qui reatus una cum peccato remittitur per gratiam Christi in baptisate collatam, qua fit, ut, qui per

baptismum regenerati sunt, eos nihil prorsus ab ingressu coeli remoretur. Ab hac sententia non est alienus s. Augustinus. — Lib. II. cap. 4. de peccat. merit, „concupiscentia, inquit, tanquam lex peccati manens in membris corporis mortis hujus, cum parvulis nascitur, in parvulis baptizatis a reatu solvitur, ad agonem relinquitur, ante agonem mortuos nulla damnatione persequitur. Parvulos non baptizatos reos innectit, et tanquam irae filios, etiamsi parvuli moriantur, ad condemnationem*) trahit.“

*) Aeterna felicitate supernaturali carere, condemnatio atque poena, sensu negativo, recte nominatur; poenam autem positivam in parvulis sine baptismo mortuis haud dixerim, cum poena positiva proprium demeritum, demeritum vero actum liberum malum per essentiam supponat. Cfr. *Stattler*; theolog. christ. theor. tract. III. cap. 11 § 226.

Debreceni Egyetemi Könyvtár
állományából
300/1964 naplószám a.
törölve.

1a
DEBRECENI N. KIR. TISZA ISTVÁN-
TUDOMÁNYOS KÖNYVTÁR
4:289 36
gyarapodási naplószám.

05.957 / 2014